



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 90. Severa edicta & supplicia contra Catholicos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

exempli, præsertim, quando præter Sæc. XVII.
 iniquitatis vivam illecebram etiam ap- A. C. 1678.
 probantis, jubentis, ac impune tole-
 rantis Judicis accedit auctoritas. Ce-
 terum hi Judices non paucis, magis in-
 humani ipsis Turcis, esse videbantur,
 qui quidem per conductitios crimina
 Catholicis affingere solent, non tamen,
 ut eorum sanguinem exsugant, sed
 duntaxat, ut aurum ab eis, salva etiam
 eorum religione, honore, libertate &
 vita extorqueant.

§. XC.

*Severa edicta & supplicia contra
Catholicos.*

Ad importunos utriusque Curiae mo- Salmon.
 tus Rex sibi, plusquam ceteris Hist. d' Angl.
 metuens se de hujus conspirationis ve- t. I. p. 372.
 ritate persuasum simulabat, cumque Abregé de
 contra torrentem tanta violentia in Ca- l' Hist. Eccl.
 tholicos effusum obniti haud posset, tom. 13.
 omnes gratias & officia Tribunis con-
 cessa abrogavit, præmiumque eis con-
 stituit, qui Jesuitam vel Sacerdotem
 Catholicum aut regium satellitem re-
 cens ad fidem Catholicam reversum
 detegeret, insuper Catholicos a Parla-
 mento exclusit, omnesque publicis of-
 ficiis provisos ad præstandum nuperum
 juramentum adegit: Ita nempe Rex
 veri-

Sæc. XVII. veritus, ne ipsius sanguinarii sui Parlamenti victima caderet, innocuos Catholicos hostium suorum arbitrio ac furori reliquit, plurimosque iniquissimos ausus, quos animo detestabatur, sua indulgentia approbavit. Equidem Oates suorumque complicum petulantiam indignatus, eos arctius custodiri iussit, insuper habitis precibus Senatorum, qui hos calumniatores libertati restitui postulabant: mox tamen Rex proprii periculi metu expugnatus consensit, ut plurimi falso accusati, conjurationis inscii, nulliusque criminis præter Religionis Catholicæ professionem rei vitæ bonis, & honore privarentur, & non pauci crudelissima supplicia subire cogerentur: Hos inter primus erat Eduardus Colemanus, qui Eboracensi Ducis a secretis erat; Oates enim & Bedlous conductitius ejusdem nequitiae socios, qui ipsam Reginam conjurationis complicem esse, accusare non abhorruit, eo minus conscientiae sibi duxerat, confictis literis hunc Virum probitate conspicuum insimulare, quod cum P. La Chaise Regis Gallici Confessario, qui Protestanticæ sectæ exterminium suavisse dicebatur, literarium commercium habuerit. Sola sceleratissimi hujus hominis accusatio jam sufficiens erat, ut Colemanus die vigesima octava

Novembris post horrenda tormenta a Sæc. XVII.
Parlamento ad laquei supplicium dam- A. C. 1678.

naretur, & quamvis cunctas Oatis ac-
cusationes elisisset, eumque sæpissime
de falsitate convicisset, imo etsi
morti proximus palam profiteretur,
quod *quidem fidem Catholicam tolerari,*
ac legitimo modo stabiliri desiderarit, cri-
minum tamen, ob quæ ad mortem damna-
retur, omnino inscius esset, Deoque grates
ageret, quod in fide Catholica mori posset,
nunquam tamen quicquam contra Regem,
aut Regimen machinatus esset, insuperha-
bita ingenua hoc moribundi confessio-
ne, haud suspecto veritatis teste, die
decima tertia Decembris laqueo su-
spensus est, vivoque cor extractum, ac
viscera in ejus conspectu in ignem con-
jecta, & tandem corpus in quatuor
partes dissectum populi spectaculo expo-
nebatur. Idem supplicium subiere die
tertia Februarii Irolandus, Grove, &
Pickeringus Jesuitæ, accusati, quod
Regis necem decrevissent in Londi-
nensi colloquio, cui sese die vigesima
quarta Aprilis interfuisse mentiebatur
Oates, cum tamen plurimorum testi-
monio Jesuitæ comprobassent, quod
Oates eadem die Audomaropoli in
Flandria fuerit. Adeo tamen apud
Calviniano-Puritanos inferioris Curia
Senatores prævaluit hujus scelerati
Hist. Eccles. Tom. LXIV. X au-

Sæc. XVII. A. C. 1678. authoritas ac testimonium, ut audacter
 die duodecima Decembris a Rege peterent, quatenus Reginam Conjugem
 suam Witehalliam in exilium deman-
 daret, unacum omnibus ejus dome-
 sticis, qui vel Catholici sunt, ve-
 huic sectæ adhærere creduntur, die
 etiam vigesima secunda Novembris
 centum Sterlingicas libras polliciti sunt
 ei, qui Jesuitam aut Sacerdotem Ca-
 tholicum caperet, simul etiam Londi-
 effigiem Papæ, Diaboli & Georgii Je-
 ferii aliorumque palam combusserunt
 quo ausu totque aliis argumentis
 luculenter comprobatum reddiderunt
 quod nullatenus conspiracyem, sed
 sub ementitæ conspiracyem obtentu re-
 ligionem Catholicam infectati, atque
 exemplo nequidem inter barbaros au-
 dito ad jugulandum Regem suum ipso
 Regis gladio seu auctoritate usi sunt.
 Hac temeritate Regem adegerunt, ut
 Tito Oati, qui annuas quingentas ve-
 ginti sterlingicas libras nimis exiguum
 suæ perfidiæ præmium esse querebatur,
 duplo majus sanguinis pretium consti-
 tueret, & Bedloo necnon Prance-
 quamvis uterque se falsum dixisse falsi
 essent, ob denunciatos Godefroii homi-
 cidæ quotannis quingentas ejusdem
 monetæ libras numeraret, cunctosque
 Protestantes, qui quempiam Catho-
 cum

cum comprehenderunt, singulari favore, patrocinio & præmio honoraret: Sæc. XVII.
A. C. 1678.

Insuper coram ipso Rege declararunt, quod fratris sui Eboracensis Ducis Religio, ejusque in Sedem Romanam studium conjuratis audaciam, ac seditionis consilia Nationi tantopere funesta inspirarit, quapropter Ducem ab Angliæ solio in perpetuum excludi denuo petebant. Denique adversus Regem, quod Danbyum Comitem falso accusatum libertati restituisset, vehementer querebantur, eumque omni legum severitate puniri postulabant, Sackwillum vero, quia humanius sese erga Catholicos gessisset, e Senatu expellebant, Regemque importunius urgebant, ut mortis sententiam contra Jesuitas, omnesque Sacerdotes Catholicos pronuntiatam illico executioni dari præciperet: Hos inter Hillus, & Greenus Sacerdotes Catholici die vigesima prima Februarii Thiburni laqueo necati sunt, quamvis constanter professi essent, se cædis in Godefroyum perpetratæ minime conscios esse: Beryum autem, qui de eodem crimine accusabatur, Senatores liberum dimisere, eoquod fidem Catholicam ejurasset, ita nempe, qui paulo ante ut Catholicus, homicida convictus erat, mox ut Calvinista, innocens ac probus audiebat. Die decima

Sæc. XVII. Maij Senatores in Wackemanum Re-
A. C. 1678. ginæ Medicum, Guilielmum Marichal-
 lum & Jacobum Corker Benedictinos
 necnon in Rumleyum & Widdringto-
 num mortis sententiam pronuntiarunt.
 die autem trigesima prima ejusdem
 Mensis Pater Ludovicus, aliique tres
 Sacerdotes Catholici, eoquod Missam
 celebrarint, & sermones ac catecheses
 ad populum habuissent, in furcam acti
 sunt: Præter hos adhuc plures alii Sa-
 cerdotes Catholici Calviniano furore
 immolati perierunt: postquam vero Po-
 ritani Senatores Sacerdotum cruore
 tiati videbantur, in ipsos Proceres
 quorum quinque Catholici in Lond-
 nensi Turri jam integro biennio incli-
 hærebant, barbaræ feritatis suæ spe-
 cimina edere festinabant: Ex his
 Proceribus Oates Stafordix Comitatus
 accusabat, quod in pluribus literis ad
 Jesuitas datis, quas hic nequam in
 suis manibus habuisse mentiebatur, in-
 juriosa contra Regem & regimen
 locutus fuisset, atque a Generali Jesu-
 itarum diploma recepisset, vi cuius Ca-
 tholici exercitus supremus Thesaurarius
 fuisset nominatus: Hæc erant accu-
 sationum capita, quæ adversus hunc
 delissimum Regis Ministrum protulit
 Oates: Ast quis sibi persuadere possit
 quod profligatissimus hic homo, qui
 Catho-

Catholicorum consortia ubique eo fine, *Sæc. XVII.*
 ut eorum perniciem promoveret, se *A. C. 1678.*
 ubique studiose quæsiisse, totque literas
 conjurationis indices legisse, vidisse,
 & habuisse jactitabat, nunquam tamen
 vel ullam ejusmodi epistolam retinue-
 rit, vel authenticum illius exemplum
 fieri procurarit, quarum vel unica, si
 eam in judicio proferre potuisset, ac-
 cusatos legitime de conjuratione con-
 vincere potuisset? nihilominus tamen,
 quamvis infelix hic Comes suum accu-
 satores manifestis testimoniis jugulaf-
 set, & triginta & unum Proceres ex
 quinquaginta quinque, Comitem ab omni
 criminis suspicione liberum pronuntias-
 sent, imo ipsemet Comes usque ad ex-
 tremum vitæ momentum se innocen-
 tem mori, coram Deo profiteretur,
 nihilominus quia hujus Viri mors jam
 antea ad Catholicorum conjurationem
 populo persuadendam decreta fuit, die
 vigesima nona Decembris anno ætatis
 suæ sexagesimo octavo in Londinensi
 Turri capite plexus est, cui sententiæ
 Rex, quamvis de hujus Viri innocen-
 tia & fidelitate certissimus esset, ob
 animi pusillanimitatem subscripsit. Te-
 nuit hæc laniena integrum triennium,
 intra quod quamplurimi ex Catholicis
 ignominiosa morte, horrendisque sup-
 pliciis e medio sublatis sunt, ob unius

Sæc. XVII omnium sceleratissimi testimonium ab
A. C. 1678. alio ejusdem furfuris perduto homine
 confirmatum, & quamvis hi testes toties
 sibi metipsis repugnassent, de falsitate
 convicti fuissent, ea, quæ jurato
 affirmarunt, mox negarint, ac rursus
 asseruerint, omnesque, qui ex horum
 testimonio morti adjudicati sunt, se in-
 noxios esse palam confessi fuerint, &
 quamvis publica horum confessio, nota
 accusantium malitia, contradictio, &
 profligatissima Oatis recens de sodomia
 convicti vita, necnon neglecta judici
 legitimi forma, nulla accusationum
 verisimilitudo, & probationum atque
 idoneorum testium defectus atrocissi-
 mam hanc calumniam & iniquissimam
 excogitatam fabulam luce meridiana
 clarius testarentur, nihilominus his om-
 nibus prævaluit præmeditatum Catho-
 licos exterminandi studium, & Catho-
 lici cruoris pretio emenda sectæ Calvi-
 nianæ libertas: certum autem est, quod
 nullibi, quam in Anglia pro exequen-
 dis ejusmodi consiliis adeo execranda
 media, scilicet insana calumniatorum
 commenta, falsa unius alteriusve testi-
 monia, & mendacia adhibere liceisset
 quis enim crederet, quod tam puden-
 dam fabulam, & falsitatem inclytum
 Parlamentum sua auctoritate fulcire ve-
 let, nisi Angliæ Annales præcipue in

Maria Stuarta, & Carolo I. Regibus Sæc. XVII.
 ejusmodi exempla elapsis retro annis A. C. 1678.
 suppeditassent, & ipsius Jacobi II. fa-
 tum postmodum scænam, quam Par-
 lamentum prælusit, aperuisset: Dixisse
 sufficiat, quod Puritani, ex quibus hic
 Senatus potissimam partem constitit,
 crimina sua & machinationes in Reges,
 quas omni tempore adornaverant, Ca-
 tholicis intorquere consueverint, de
 quibus haud immerito Richardus
 Thomsonius in Anglia Bristoliensis Præ-
 co hæc in concione quadam protulit:
Presbyteriani homines sunt ad istum modum
comparati, ut vel diabolus ipsum eorum Weisman.
puderet; ipsis sacrificulis & Jesuitis sunt Hist. Eccl.
peiores, minusque tolerabiles: Presbyteria- t. 2. p. 1066.
nus, ut talis, haud minus perduellis est,
jam Calvinus horrendum de interficiendis
Regibus dogma omnium primus prædicavit:
... multi etiam de conjuratione spar-
guntur rumores, sed præter Presbyteria-
nam nulla exstat conjuratio &c.

§. XCI.

Ariana hæresis a Sandio innovata.

Evocavit rursus ex orco Arii hæresin Sand. Bibl.
 Christophorus Sandius junior patria Antitr.
 pag. 150.
 Regino - Gradeciensis, qui Calvinianæ Arnold.
 sectæ nausea correptus, ipsemet sibi Hist. Hæret.
 part. 2.
 Religionis systema procudere incæpit, l. 17. c. 13.
 eo-num. 25.